

diatam, quia venter non amplectitur cibum, unde sequitur molestia in cōcoctione: & vbi non recte continetur cibum, non recte potest concoqui, ex quo sequitur rugitus, flatus, qui dum ascendunt ad os ventriculi, faciunt vt percipiat primo caliditatem circa os ventriculi, qui postea flatus à fortitudine oris retruduntur ad fundū stomachi, unde circumuoluuntur isti flatus. Ergo propter istam humiditatem existentem in fundo ventriculi cibum non bene continetur, propterea sunt flatus, & rugitus, quia calor innatus, quamuis in seipso bene cōcoquit, non potest tamē concoquere, sicut oportet, quoniam ventriculus nō potest cibum amplecti, sicut debet. Ac quod res hoc modo se habeat, sequuntur postea nōnulla signa. Primo est illud, quod ipse dicit, se edere multos flatus, nullum tamen per superius, tantummodo per inferius. Et hoc est vnum, quod potius in fundo ventriculi est affectio: descendit enim flatus ad partes inferiores, non ad superiores. Est aliud signum: dicit, quod quando quiescit, non videtur affligi, nisi parum admodum: sed affligitur quādo mouetur, & quō intensius mouetur, eō magis affligitur: cuius signum quoque est, quia cibum non potest concoqui à ventriculo, quia non amplectitur: & dum quiescit, melius amplectitur, & melius concoquitur cibum. Quod si esset ratione frigiditatis affectio ista, potius à motu adiuuaretur concoctio, quia ex motu augetur calor: sed hīc contrarium accidit, quoniam ex motu sēuiora sequuntur symptomata. Audio etiam quod iste nobilis vir multas egerat humiditates. Et ita omnia signa videntur potius attestari humiditatem quā frigiditatem. Et quod illa sit potissima causa huius dispositionis, deinde ipsa temperatura, hoc idem videtur testari. Est enim humidum corpus, & etiam si caliditatem habeat, habet etiam non minorem frigiditatem, quia pingue olim fuit, nunc verò arefactum magis, quā prius, cum deficiat circa cibum, quod parum comedat, cum antea bis in die comedere consueuerit. Sed hīc difficultas est, cum humiditas, & non frigiditas principaliter hīc peccet, non immeritō aliquis querere posset, Vnde est illa fames, de qua loquitur? Nihil enim magis extinguit famē, quā humiditas. Facile hoc soluitur, nam cum in ore ventriculi, circa quod sit fames, non sit affectus ille, sed in fundo, non propterea necesse est, vt afficiatur locus, in quo propria passio famis. Et ideo bene adhuc consistit, quod humiditas sit in fundo, & tamen nihilominus sentiat famem, & naturalem: cum enim hepar admodum calidum habeat, quod plurimum absorbit, ideo indiget multo cibo, præsertim cum etiam assuetus sit tali cibo vt: cumque non habeat cibum idoneum, necessarium est, vt famescat. Vnde dicit quando parum cibi manē sumpserit, valdē famescit, & quasi rabie quadam afficitur, quia est inanitio, quæ facit famem. Appetit ergo cibum, quia indiget eo. Sum igitur adhuc eius sententiæ, quod humiditas potius sit causa huius affectus, quā frigiditas, licet consecutiue cum tanta humiditate calor quoque sit diminutus, non in se, sed quia humiditas ipsum obtundit. Hæc satis quantum ad

debilitatem ventericuli, tam ad causam eius, quā ad ægritudinem. Quantum ad morbum Gallicum, nihil de eo dicam, quoniam non curatur ille nisi suo antidoto, & ideo cum appareant eius vestigia, valde est aduertendum, ne aliis ægritudinibus associetur: associatur autem ferè omnibus, ac illas longas, ac pertinaces ad curandum reddit. Contrā fieret cæteris paribus, vbi non adesset morbus Gallicus. Et propterea de hoc morbo admodum debemus esse solliciti, etiam si præcipua quæstio sit de affectione ventriculi.

De Prognostico nihil aliud dixerō. Si volet curari, quotuplex erit curatio? Vna debetur morbo præsentī, altera futuro, quæ potius præseruatio est: nam, vt audio, aliàs curatus fuit ante septem & octo menses, non tamen præseruatus. In curatione duo faciendā sunt: primū, vt curetur à præsentī ægritudine, qua laborat: secundum, vt præseruetur, ne amplius in eam incidat. Prius tamen, quā ad hæc veniā, vnum dicam: quod inter reliqua signa, quæ faciunt me credere humidam intemperiem in ventriculo esse, fuit assumptio decocti ligni, quia illa assumptio maximam vim habet exiccandi: est enim valdē siccū, & non ita calidum vt siccum, propter partes terrestres plurimas. Ex illo igitur exiccatus fuit ventriculus, & sanus tandiu vixit, quā diu fuit inanita humiditas propter decoctum ligni: si autem intemperies fuisset frigida, propter decoctū ligni, ventriculus frigidior esset factus, & ex hac assumptione potius deterior esset effectus. His ita se habentibus, quomodo curanda præsens ægritudo? Dico, quod non erit efficacius remedium, quā decoctum ligni. Primo enim de suspicionē morbi Gallici non est dubium, quod nullo alio quā hoc solo decocto curari poterit. Secundo, cum sit humiditas superflua in ventriculo, nemini est dubium, quod exiccabitur hoc decocto. Ergo decoctum hoc duas respiciet ægritudines. Purgarem quidem corpus ante eius exhibitionem, sed benignè, non purgantibus illis medicinis, quæ solent præmitti morbo Gallico. Essem contentus lenitione & syrupis, vt de absinthio, oxymelle simplici; & quiescerem inter duos syropos, ad præparationem ipsius ventriculi. Decoctum cum quo dari debet syrupi, posset esse ex cichorio & absinthio, si vellet tolerare propter amaritudinem: sed non curo multum de aquis, quia sufficeret syrup. solus propter maiore morā, quā in ventericulo faceret, quā aqua, quæ citò penetrat. Postea purgabitur cū rebus benedictis, in quibus nulla essent scammoniata, vel solutiuā, sed cum rhabarbaro. Facta purgatione, accederem ad decoctum ligni. Iniungerem leuem dietam, vt comederet carnes hœdi, vel caponum, & in modica quātitate. Biberet vinum pauciferū, non cum aqua ligni commistum, quia ipsum destrueret. Vbi erit postea curatus à morbo Gallico, si vellet sustinere sanitatem suam, & eam conseruare, vteretur alio regimine, & penitus abstineret à coitu, quo nihil magis ventriculum debilitat, & in aliis rebus non naturalibus haberet optimam rationem. De curatione nihil dubito, verum multo magis de præseruatione.

CON.